

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Tractatus theologicus de doctrina christiana s. de rudementis christ. fidei -
Ettenheim-Münster 99

Cartier, Gallus

[S.l.], [18. Jahrh.]

Pars secunda

[urn:nbn:de:bsz:31-110904](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-110904)

44.
patienter tempus, diuturnum aut molestum
existimari debet: Non enim sunt condigne p[er]p[er]io-
nes huius temporis ad futuram gloriam, quae re-
velabitur in nobis, inquit Apostolus, Rom. 8.

o felices, qui a Christo aliquando audituri
sunt illa verba omni consolatione plena: Veni-
te benedicti Patris mei, possidete paratum vo-
bis regnum a constitutione mundi! O nimium
infelices illi, quibus voce terribili dicitur: Dis-
cedite a me maledicti in ignem aeternum, qui
paratus est diabolo et Angelis eius! Ad illo-
rum igitur numerum venire per sancta
opera omnes vires intendamus, ab istorum
vero consortio separari nunc a malo decli-
nando impense satagemus.

Part. Secunda.

93.
De Spe, et iis, quae ad eam
pertinent.

Capit. i. num.
De Spe ipsa.

S. 1.

De essentia et objecto Spei.

Q. 1.º. Quid est Spes?

R. Spes est virtus Theologica divinitus
infusa, per quam nostram salutem a Deo
firmiter expectamus. Equidem etiam
in B. Virgine Mariâ, aliisque Sanctis sperare
possumus, verum haec Spes non est Theologica,
sed potius fiducia nuncupari debet. Itaque
cum Sancti sint potentes Dei amici, ideo
in ipsorum intercessione magnam fiduci-
am merito collocamus.

Q. 2.º. Quodnam sit objectum Spei? 94.

R. Primum est Deus possidendus; secun-
darium sunt media salutis a Deo instituta,
nempe gratia, et bona opera ex virtutibus gra-
tia facta, sine quibus Spes esset mera presump-
tio. Item bona temporalia, quatenus per bo-
num usum ex gratia Dei ad salutem condu-

50. cre possunt: uno verbo, omnia, quae in oratione Dominica continentur.

S. 2. Jus

De fundamentis Spei.

95. Q. 1^o Quodnam sit fundamentum Spei?

R. Spes, tanquam basi, innititur omnipotentiae, Fidelitati, ac Bonitati Dei: Speramus enim in Deo, quia omnia potest, quia fidelis est in promissis, et quia vult nos salvare.

Q. 2^o Quâ ratione Spes evitari, ac nutriri possit?

R. 1^o frequentibus Spei actibus, quibus vel maxime abundant Psalmi. 2^o Cœbra meditatione bonitatis, ac beneficiorum Dei, illorum proestim, quae Christus, pro immensâ suâ in nos charitate, nobis praeestitit.

Caput 2. dnm

96.

De Oratione.

Nulibi Spes magis exercetur, quam in Oratione; frustranea quippe est ea oratio, quae Spe non fulcitur; congruum proinde omnino est, ut de Oratione hîc pauca dicamus, atque quae quid et quotuplex sit oratio. Igitur

97. Q. 1^o Quid sit oratio?

R. Est petitio rerum deventium facta Deo, sive immediate, sive mediate, Sanctorum. scilicet intercessione, ut aliquis ab ipso impetretur.

98. Q. 2^o Quomodo dividitur oratio?

R. In mentalem, quae scilicet fit solâ mente; et vocalem, quae fit additâ voce corporali: dico, additâ, quia vocum prolatio secundum se sumpta non est oratio. Oratio namque est nostri desiderii explicatio; nec potest strepitus oris mutâ corde. Oratio igitur vocalis, ut sit vera oratio, mentalem necessariò includit.

99. Q. 3^o Quid sit oratio mentalis?

R. Est studiosa investigatio veritatis ad concipi-

51.
piendum devotionis fervorem. Dicitur ad con-
piendum devotionis fervorem, ut significetur
meditationem non esse meram speculationem,
sed opus rationis practica incitantis voluntatem
ad fugam mali, et prosecutionem boni.

Q. 4. An meditatio sit necessaria ad Salu-
tem?

R. Affirmative. Nam i. S. Scriptura ait: Jer.
12. Desolata est omnis terra, quia nul-
lus est, qui cogitat corde. Eccli. 3. Quis proce-
pit tibi Deus, illa cogita semper. Item Matth.
13. et Luc. 8. Verbum Dei auditum, et non reco-
gitatum est semen cadens vel secus viam, et
conculcatum, vel in spinas, et suffocatum.
Spinæ sunt, Interprete ipsemet Christo Domino,
Solicitude seculi; sollicitudo divitiarum, ac volup-
tatum; à quibus retrahendam mentem monet
Isaias c. 46. ubi, redite, ait, pravariatores
ad cor, scilicet ut cogitatis, quam vana
sunt, quæ sub Sole geruntur; quam magna,
quæ Deus diligentibus se promittit; quam
vero terribilia, quæ mundanis minatur. Da-
vid, licet negotiorum multitudine pressus,
meditationibus mundabat cor suum, ut
ipsemet testatur Psal. 76. Meditatus sum
nocte cum corde meo, et scopebam spiritum
meum; adeo meditatio illi videbatur ne-
cessaria.

Et vero quotidie experimur, multos gra-
vium peccatorum consuos ope meditationis
resipiscere, atque in viâ virtutis proficere,
quando ad illam piam mentis occupationem
confugiunt; adeo, ut si quid de illâ remit-
tant, eorum ardor tepescat, et ubi illam
provisus neglexerint, in pristina crimina re-
labantur.

§. i. mus

De Oratione Dominica

Q. 1. Quæ sit Oratio Dominica?

R. Eam esse constat, quam Christus Dominus
Discipulos suos docuit, Luc. 11. atque continet

101.

92.

Septem petitiones, quarum quatuor sunt bonorum exorations, et tres posteriores sunt malorum deprecationes; porro in hac oratione includitur, quidquid à Deo peti potest.

Hoc autem ordine est exarata: Pater noster, qui es in coelis, Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Amen.

102. Q. 2^o. Cur initio, et ante omnes petitiones dicatur: Pater noster qui es in coelis?

R. Ea verba ponuntur per modum praefatiunculae, ut memores simus ineffabilis beneficii, quo summa illa Divina Majestas dignatur nos in suos filios, et Regni coelestis haeredes adoptare; utque per hoc attentio et devotio nostra non solum excitetur, sed etiam fiducia omnia facile ab eo impetrandi in nobis augeatur.

S. 2. Jus

De primâ petitione

Sanctificetur nomen tuum.

103. Q. 1^o. Quid hac primâ petitione à Deo postulemus?

R. Ut ipse Deus ab omnibus agnoscat, laudetur, et glorificetur, nomenque ejus adoretur; quae omnia, cum fere idem sint, Christo tamen placuit potius nomine sanctificationis quam laudis uti, eo quod nihil Deo gratius sit, quam esse sanctum.

104. Q. 2^o. Quibus modis haec sanctificatio fiat?

R. Quando laudes ejus decantamus, divina mysteria celebramus, pie et sanctè vivimus, infideles ad fidem, peccatores ad poenitentiam, et saeculares ad vitam religiosam convertimus.

§. 3^{tuus}
De secunda petitione.

53.

Adveniat Regnum tuum.

Q. 1^o Quid hae secunda petitione postulemus? 105.

R. Duplex Dei regnum, nempe regnum Spirituale animae, quod est gratia, et regnum gloriae coelestis.

Q. 2^o Quid regnum gratiae in se contineat? 106.

R. Regnum gratiae, quo nempe Deus per gratiam regnat in electis suis, complectitur 1^o fidem, sine qua impossibile est placere Deo.

2^o Spem, qua ad Deum erigimur, et ab eo omnia bona expectamus. 3^o Caritatem, qua

ipfi intimè unimur; uno verbo, hoc gratiae regnum nos facit amicos, imò filios Dei, nosque pretiosiores reddit in oculis ejus, quam sint omnia regna mundi sine gratia Dei.

O Beati terque beati, in quibus inhabitat gratia Christi.

Q. 3^o Quid sit regnum gloriae? 107.

R. Idem, quod vita aeterna, de qua supra c. 2. §. 12. Et hoc est, quod praecipue in hae petitione precamur à Deo, ut videlicet ex hoc mundo veluti à molestà peregrinatione educti ad coelestem et aeternam gloriam pertingere valeamus.

§. 4^{tuus}
De tertia petitione.

Fiat voluntas tua sicut in caelo
et in terra.

Q. 1^o Quid hae petitione postulamus? 108.

R. 1^o Cum voluntas Dei sit sanctissima, idè exigit à nobis, ut praecepta ejus impleamus, in virtutibus nos exerceamus, ac pijs operibus, maxime misericordia. De quibus postea: vacemus, et pro his omnibus adimplendis gratiam à Deo petamus. 2^o Voluimus omne id, quod vult Deus, sive illud nobis gratum sit, sive molestum; ita ut in omnibus voluntatem nostram divina-

54. Subjiciamus, omnino aequa lance ponderemus, ac Deum in adversis aequè ac prosperis semper benedicamus; et in hoc consistit tota nostra perfectio.

109. Q. 2^o. Cur dicatur, Sicut in coelo et in terra?

R. per ea verba exprimitur modus voluntatem Dei adimplendi; ut, sicut Angeli in coelo, ita et nos in terra Dei voluntatem faciamus; nempe 1^o integrè, ut nihil prorsus negligatur. 2^o purâ intentione soli Deo placendi. 3^o promptè, absque morâ et repugnantia. 4^o fortiter, et ad finem usque, constantè. 5^o cum gaudio et ferventi amore.

§. 5^{us}

De quarta petitione.

Panem nostrum quotidianum
Da nobis hodie.

110. Q. Quid hæc petitione contineatur?

R. Breccamur Deum, qui est fons et origo omnium bonorum, ut nobis egenis victum, et vestitum, ac omnia ea, quæ ad sustentandam vitam sunt necessaria suppeditare dignetur. Præterea ab eo postulamus omnia, quæ ad vitam spirituales conducunt, qualia sunt Verbum Dei, inspiratio, ac illustrationes divinae, panis ille coelestis, Sacra scilicet Eucharistia, ceteraque Ecclesie sacramenta, ac alia superna dona, quibus in vitam æternam alimur, et parvamur.

§. Sextus.

De quinta petitione.

Et dimitte nobis debita nostra,
sicut et nos dimittimus debitoribus
nostris.

111. Q. 1^o. Quanam sint debita, quæ nobis

remitti hinc petimus?

R. Non alia, quam peccata nostra, et poenas illis debitas. Peccata autem alia sunt mortalia, quae verè sunt gravissima debita, et in infernum usque deprimantia: alia venialia, quae licet respectu mortalium levia censeantur, absolute tamen valde gravia sunt; eò quòd per ea summa ac infinita Majestas offendatur. Poena autem vel sunt temporales, vel aeternae. Cum igitur hujusmodi debita quotidie contrahamus, oportet, ut eorum remissionem quotidie à Deo humiliter flagitemus.

Q. 2^o. Cur in hac petitione adjecta ^{112.} sint haec verba: Sicut et nos dimittimus?

R. Quia Deus nobis non vult remittere peccata nostra, quibus eum offendimus, nisi nos etiam proximis nostris injurias et offensas ex corde dimittamus. Hinc est, quòd ille, qui adversus proximum in corde retinet odium, contra se ipsum orat, atque à Deo petat, ne sibi peccata sua dimittat; adeoque majorem illius indignationem incurvat, ac magis inferno dignum se reddat.

S. 7^{mus}

De sexta, et septima petitione.

Et ne nos inducas in tentationem;
Sed libera nos à malo. Amen.

Q. 1^o. Quid sexta petitione postule- ^{113.} mus?

R. Non petimus, ne tentemur, quia tentationes nobis sunt valde utiles; iisdem enim humiliamur, erudimur, merita augemus, &c. Undè S. Jacobus Epist. c. 1, ait: omne gaudium existimate, cum in tentatione, varias invidoritis. Petimus igitur, ne Deus nos inducat, id est, intrare permittat in tentationem, ut ei suc-

PE

33

56.
umbamus: seu petimus gratiam, ut tenta-
tionem, qua nos adoritur, vincamus; ac
proterea Deum rogamus, ne permittat,
talem tentationem, vel talem peccandi
occasionem, nobis evenire, quia ipse pra-
videt nos fore vincendos.

114. Q. 2^o. Quid septimam petitione roge-
mus?

R. Per eam petimus, ut ab omnibus
malis, praeteritis, praesentibus, et futuris,
corporis et animae liberemur; maxime
vero a peccatis mortalibus, qualia sunt vitia
capitalia, peccata in Spiritum Sanctum, et simi-
lia, per quae reddimur hostes Dei, et quae, nisi
nobis in hac vita remissa fuerint, nullam no-
bis ad aeternam beatitudinem spem relinquunt,
sed excipiet nos extremum et aeternum malum,
aeternumque scilicet damnabimur.

De istis igitur vitis et peccatis, quibus spes
ad aeternam salutem nobis pracluditur, agen-
dum nobis est; ubi prius de Salutatione An-
gelica, altera oratione ab universa Ecclesia
probata, et fidelibus praescripta, et quam
communiter post orationem Dominicam re-
citare solent, pauca dixerimus, p.

§. 8^{us}

De Salutatione Angelica?

115. Q. 1^o. In quibus verbis concepta sit Salutatio An-
gelica?

R. Hisce sequentibus: Ave Maria gratia
gratia plena, Dominus tecum. Benedicta
tu in Mulieribus, et benedictus fructus
ventris tui, Jesus. Sancta Maria Mater
Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc et in
hora mortis nostrae. Amen. Proinde
ad B. V. Mariam Dei genitricem directa est.

116. Q. 2^o. Unde desumpta est haec oratio in
Salutatio?

R. Ex verbis gabrielis Archangeli, quando,

57.
prout refert S. Lucas, Evangelista c. i. v. 28. ad B. V.
Mariam missus à Deo, ut ei Divino-humana con-
ceptionis sua, et incarnationis Divinae mysteri-
um annuntiarer dicit ei: Ave gratia plena:
Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus.
Et in verbis S. Elisabeth, quibus ipsa eandem
B. V. Mariam, que ut eam inviseret, ad illam se
contulerat, compellavit, ibid. v. 42. dicens:
Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus
ventris tui. Quibus reliqua S. Mater nostra
Catholica Ecclesia addidit, immens ejusdem
S. Maria virginis auxilium et apud Deum in-
tercessionem à fidelibus esse implorandam.

Q. 3^o Quis sit sensus hujus Salutationis? 117.

R. Haec verba Ave gratia plena, idem
significant, ac gaude Maria, tibi que gra-
tulanur, quod sis super omnes plena virtuti-
bus, gratia sanctificante, ac donis Spiritus Sancti.
Dominus tecum, modo certe suavissimo, quippe
qui omnes facultates animo tua occupat, im-
plens memoriam Divinis cogitationibus, men-
tem irradians sublimibus illustrationibus, vo-
luntatem inflammans seraphicis ardoribus, p.
Benedicta tu in mulieribus, quia tu es sola,
que tua virginitate Sponsa simul et fecundi-
tate mater exististi, atque Salvatorem mundi
nobis peperisti. Benedictus fructus ventris
tui, qui ut perditum salvaret mundum, non
horruit uterum tuum, verum stupendam
dignatione quadam in illum descendit. Cete-
ra, que huius Angelicae Salutationi, per modum
orationis Ecclesia Catholica addidit, nempe: Santa
Maria, Mater Dei, Ora pro nobis p. per se clara
sunt, nec ulla indigent expositione: nempe
B. V. Mariam precamur, ut pro nobis apud Deum
suis obsecrationibus intercedere dignetur.

Q. 4^o An ergo licitum et laudabile sit invo- 118.
care B. Mariam virginem?

R. Non modo B. V. Mariam, sed et omnes
alios Sanctos cum Christo in coelis regnantes in-

2
34

vocare licitum est, et laudabile, nec non utile.

119.

¶ 5^o Unde id probari potest.

¶ 1^o Exemplis, quae S. Scriptura suppeditat.
Abraham genes. 18. in gratiam Sodomitarum An-
gelum invocavit. Et c. 19. Loth ab Angelo sup-
plex postulavit, quod et obtinuit, ne videlicet
Urbs Segor excidio deleretur. Gen. 22. Jacob ab
Angelo benedictionem afflagitavit, et obtinuit.
Quod si Angelos invocare bonum est et utile, prout
en ad dicitur lovis patet, bonum utique erit et utile,
adeoque etiam licitum et laudabile. Sanctos, qui
aque Spiritus sunt ac in, atque una cum ipso in
coelo regnant, invocare. Et verò S. Scriptura
varius in lovis, ut Zachar. 3. v. 12. Tob. 12. v. 12. End.
32. v. 12. et 13. Daniel. 3. v. 35. Job. 9. v. 1. Jerem.
15. v. 1. 2. Machab. 2. 15. v. 12. et 14. p. testatur
non modo Angelos, sed et Sanctos in coelis regnan-
tes pro nobis ad Deum preces fundere.

2^o Ex traditione Patrum Eusebia. ut S.
Irenaei qui an. 202. obit, lib. 5. adversus haereses,
c. 19. Origenis, qui obiit an. 254. Hom. 3. in Cant.
S. Cypriani, qui obiit an. 258. Ep. 57. Eusebii
qui obiit an. 340. lib. 13. pro p. Evang. c. 11. Et
deinceps subsequantium Saeculorum Patrum et Con-
cilionum in actis Martyrii tum S. Ignatii
in Antiochenâ Sede S. Petri post Evodium Sueppo-
ris, tum S. Polycarpi, qui S. Joannis Apostoli Dis-
cipulus fuit, legimus illos Sanctos Martyres ab illi-
us aetatis fidelibus fuisse invocatos.

3^o Ex beneficiis miraculosis penè innumeris,
quae Deus per Sanctorum intercessionem contulit
fidelibus, quae referunt auctores fide dignissimi,
inter quos S. Augustinus, qui lib. 22. de Civ. Dei. c. 8.
narrat plurima miracula, quae coram numerosâ
multitudine ad cultum et invocationem Proto-
martyris Stephani in Africa fuisse patrata.

¶ 6^o Quia licitum est et laudabile ad viros San-
ctos, dum in terris hinc nobisum versantur, confugere,
et eos rogare, ut pro nobis apud Deum intercedant.
Ergo à fortiori licitum, laudabile, et utile est in-
vocare Sanctos in coelis regnantes. Nec enim vel ap-
parens ratio offerri unquam poterit, ut illud lauda-

bile sit, et licitum, non vero istud. Una enim, pos-
ut supra part. i. c. 2. §. 10. n. 83. adnotavimus, iam
est triumphans in caelis, ac in terris dominans Ecclesia;
quotidie recitantes Symbolum, Sanctorum com-
munionem profitentur; communio autem haec Sanctos
spectat tum hic in terris, tum in caelis degentes;
neque minus grati sunt Deo Sancti in caelis, quam
in terris, nec minor est apud eum illorum gratia
et auctoritas.

§. 9^{mus}

De vitis seu peccatis Capitalibus

Q. 1^o Quae sint peccata, à quibus proximè 120.
petimus, ut liberemur?

R. Ea, quae dicuntur Capitalia, quod sunt
fontes vel capita reliquorum, ac post se longam
peccatorum catenam trahant; suntque nume-
ro septem: Scilicet Superbia, Avaritia, Lu-
xuria, Invidia, Gula, Ira, et Accidia.
Superbia oppositur Humilitas, Avaritia
Liberalitas, Luxuria Castitas, Invidia Cha-
ritas, Gula Abstinencia, Ira Patientia,
ac denique Accidia Scuror et Pietas. Has
virtutes toto animo sectemur, ut ab istis vi-
tibus liberari valeamus.

Q. 2^o Quid sit Superbia, et quas filias pa- 121.
riat?

R. Superbia est Inordinatus appetitus su-
pra alios excellendi; sive denique hic appetitus
se exterius prodatur, sive intus in anima lateat.
Has habet sequentes filias: Praesumptionem,
Ambitionem, Jaectantiam, Hypocrisim, Con-
tentionem, Pestinaciam, Inobedientiam,
et Discordiam. Bonè ex Superbiâ initi-
um sumpsit omnis perditio, Eccl. 10. grande
proin malum; et inde est, quod, ut ait
S. Petrus 1. ep. c. 9. Deus Superbis resistat, et
humilibus det gratiam.

Q. 3^o Quid sit Avaritia, et quamam ejus filia? 122.

R. Avaritia est Inordinatus bonorum
temporalium appetitus. Avarus enim

3
35

60. proprie non solum ille dicitur, qui rapit aliena,
sed etiam qui ea concupiscit, vel nimis avidè sua
servat. Hujus pessima matris filia sunt: 1^o Ob-
duratio cordis, quâ v.g. egenis non miseremur, aut
debitores durius urgemus. 2^o Nimia cordis in-
quietudo ad acquirenda vel conservanda bona tem-
poralia. 3^o Violentia, quâ per vim aliena ra-
piunt. 4^o Falacia, quâ occultè proximum
nostro circumvenimus. 5^o Proditio, quâ
pecunie gratiâ rem, vel personam proximo,
aliorum litteras ad alios scriptas factò sigillò ape-
rimus, vel aliis communicamus.

123. Q. 4^o Quid sit Luxuria, et quae ejus Soboles?
R. Luxuria est appetitus inordinatus impurae
et libidinosa voluptatis. Igitur autem 1^o Men-
tis coecitatem, adeo ut libidinosis de coelestibus
ne quidem cogitet. 2^o Brevitatem mentis,
quâ quis sine consilio operatur. 3^o Inconstan-
tiam, quâ quis bona proposita facile mutat
ob affectum ad voluptatem. 4^o Amorem
sui, ac vicissim odium Dei. 5^o Nimum
hujus vitae desiderium. 6^o Mortis ac futuri
supplicii horrorem. 7^o Denique Salutis suae
desperationem. Et haec sunt foedissima ma-
tris nefandae Soboles. Igitur, fugite forni-
cationem, monet Apostolus, 1. Cor. 6. an vesci-
tis, quoniam corpora vestra membra sunt
Christi; tollens ergo membra Christi, faciam
membra meretricis?

124. Q. 5^o Quid sit Invidia, et quae ejus filia?
R. Invidia est tristitia de bono alteri-
us, prout idem propriam excellentiam minuit,
vel saltem minere apprehenditur. Filia
ejus sunt Odium proximi; Detractio fama-
e ipsius; Superlatio, quâ inter proximum et
alium, per malam obloquutionem, tollitur
amicitia. Item in aliorum adversitati-
bus et calamitatibus Exultatio, et in pros-
peris Afflictio. Hoc detestandò crimine

homines in Diabolos transformantur; invidia⁶²
enim diaboli mors introivit in orbem terrarum,
Sap. 2.

Q. 6^o Quid sit gula, et quanam ejus filia? 125.

R. Gula est cibi et potus inordinatus appetitus: in quo quatuor modis peccatur. 1^o Edendo, vel bibendo extra debita refectiois tempora, et ultra necessitatem. 2^o Enquirendo cupiditas. 3^o nimium excedendo in quantitate. 4^o nimis avidè vorando.

Filia ejus, quas parit, sunt Hebetudo mentis, Inepta Latitia, Multiloquium, Scurrilitas, Immunditia corporis &c. Monitum Christi huc annotatione dignum est, quo dicit: Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate, Luc. 21. Et commonitionem Prophetæ adjungimus: Vae qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri potentes ad miscendam ebrietatem. Isai. 5.

Q. 7^o Quid sit Ira, et quanam ejus filia? 126.

R. Ira est appetitus inordinatus ultionem de altero sumendi, à quo quis se laesum arbitratur. Filia ejus sunt Rixa, Contumelia, Canor, Indignatio, Blasphemia, Tumor mentis, quo nempe quis modum excoGITat, se de altero vindicandi. Ceterum irasci proprium est Stultorum; Ne sis velox ad irascendum, ait sapiens Eccli. 7. quia ira in humilitati sequitur.

4
36

Q. 8^o Quid sit Acedia, et quanam ejus filia? 127.

R. Acedia est lenuis animi Languor ad bene operandum; praesertim vero Tristitia de re Spirituali. Ex eâ sequentes enasuntur Filia: 1^o Timor laborum. 2^o Confusio, quâ occultantur talenta. 3^o Languor seu Torpor in exercendis virtutibus, seu bonis operibus. 4^o Aversio à viris Spiritualibus. 5^o Inconstantia in bene coeptis. 6^o Otiositas. 7^o Mentis viria res illiutas vagatio. Acediosis optime congruit

62. idem Apocalypsis c. 3. v. 16. Quia tepidus es... idcirco inci-
piam te vomere ex ore meo.

S. iohannes

De peccatis alienis.

128. Q. Quae et quot sint peccata aliena?
R. Peccata aliena dicuntur ea, quae licet
aliorum opera perficiantur, nobis tamen prop-
ter sequentes novem modos his versibus, com-
prehensos, imputantur,

Jussio, consilium, consensus, palps, reuerfus,
Mutus, participans, irritans, et nihil obstand.
Ubi notandum, quod per vocem palps hic in-
tedigatur adulatio, et per reuerfus Defen-
sio.

Peccata aliena itaque fiunt nostra 1^o Jusse-
one: Sic David occidit Uriam. 2^o Consilio:
exemplo sit Herodias, quae filia sua consuluit,
ut peteret caput Joannis Baptista. 3^o Con-
sensu: Sic Saulus erat consentiens neui S. Stepha-
ni. 4^o Laudatione peccati, seu adulatione:
et hoc est, quod ait Propheta psal. 9. Lauda-
tur peccator /: ab aliis / in desideris anima sua, et
iniquus benedicitur. 5^o Defensione, cum

scilicet iniquè agentibus patrocinamur, eorum-
que mala opera aut perversam doctrinam
tuemur, Sed vae, qui dicitis malum bonum,
Isai. 5. 6^o Retinentia peccati alterius,
quod manifestare, vel verbis corripere nos oportet.

7^o Participatione, quod fit, quan-
do alterum iuvamus, ad malum perficiendum.
8^o Irritatione, quando inimicum licenter
alium ad iram, ultionem, blasphemiam, pro-
vocamus.

9^o Conniventia, quando quis
potestate et auctoritate potens, ad prohiben-
dum et impediendum peccatum, idem tamen
dissimulat. Ita peccavit Heli, dum delin-
quentes filios non punivit.

S. iohannes

De peccatis in Spiritum Sanctum.

129. Q. 1^o Quae sint peccata in Spiritum Sanctum?
R. Sunt ea, quae non ex fragilitate aut igno-
rantia, sed ex mera malitia committuntur;

malitia enim adversatur bonitati, quae Spiritui Sancto
attribui solet.

63.

Q. 2^o Quot sint huiusmodi peccata?

130.

R. Sex recensentur: 1^o Presumptio de Dei mi-
sericordiâ. 2^o Desperatio. 3^o Agnita veritatis
impugnatio: Sic Pharisei impugnabant mira-
cula Christi. 4^o Fraternalis charitatis inviden-
tia. 5^o Obstinatio in malô. 6^o Denique,
finalis impenitentia, quae habetur, cum homo
nullum in peccandô modum vel finem facit,
ac animum habet nunquam poenitendi. Haec
autem peccata, aut nunquam, aut aegre ad-
modum à Deo homini remittuntur; unde et à
nobis summô odio sunt prosequenda.

§. 12^{us}

De peccatis in coelum clamantibus.

Q. Quenam sint illa?

131.

R. Ea sunt, quae pro ceteris insignem ac ma-
nifestam pravitatem in se continent, qualia
sunt, Homicidium voluntarium; Peccatum
Sodomiticum; Oppressio pauperum; et Mer-
ces Operariorum defraudata.

Haec universim mala sunt et peccata, à
quibus liberari in oratione Dominica petimus.

Part 3^{ta}

132.

De Charitate, et iis, quae ad eam spectant.

Capitulum

De Charitate.

Q. 1^o Quid sit Charitas?

R. Est virtus Theologica divinitus infusa,
quâ Deus super omnia diligitur, et proximus
propter Deum. Est autem Deus super omnia
diligendus, quia ipse est summum, infinitum,
ac immensum bonum, quod solum cor nostrum
satiare potest.

Q. 2^o Quomodo Charitas differat à virtu-
te Spei?

133.

R. Per virtutem Spei tendimus in Deum
ut summum bonum nostrum, seu quatenus
nobis bonus est, et nos perfecte beare potest: